



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

12 Dispensatio superioris iusta de causa a residentia, & promotione ordinum excusat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

DECISIO XII.

Ex consl. 22. alias 18.

12 **H**abens Canonicatum in Ecclesia cathedrali, cuius fructus, qui in quotidianis distributionibus consistunt, non sufficiunt eidem, ut secundum decentiam suam vivat: ex dispensatione superioris a residentia, & promotione ad ordines excusari potest, donec maiores redditus acquirat, ut in Canonicatu, & ordine honeste, & decenter vivere possit. S. Thom. 2. 2. q. 147. art. 4. & Caic. ibi. Ma. ptel. 9. n. 14. & c. 23. n. 42.

DECISIO XIII.

Ex consl. 13. alias 22.

13 **F**ructus beneficiariorum residentium, & morientium in suis Ecclesiis successoribus debentur: non residentium autem sine legitima licentia in scriptis obtenta, & morientium extra suas Ecclesias Camera Apostolica redduntur: nec sufficit iusta causa cum licentia tacita, sed omnino necessaria est ut expressa sit, & in scriptis data, ex Con. Tr. ses. 23. c. 1. de ref. aliis licentia data in foro exteriori non proderit successoribus, sed pro fisco, & Camera Apostolica indicabitur, cum actus sine scriptura factus, in quo lege, vel conventionione partium illa intervenire debet nullus sit, contra etus, C. de fide instr. & glo. in c. de censib. in 6.

DECISIO XIV.

Ex consl. 7. in Novis deest in antiquis.

14 **C**um confensu, & priuata pactione publico in priuaticum dicari nequeat. Ius publicum, ff. de pact. & c. diligenti, de foro compet. Nata. in Man. c. 22. num. 59. ut canonicus absens, distributiones quotidianas percipiat, canonici presentes concedere nequeant, sicut nec ut subdiaconatu carens vocem habeat, Capitulum permittit valeat, & Conc. Trid. sess. 22. c. 4. de ref.

DECISIO XV.

Ex consl. 3. in Novis deest in antiquis.

15 **A**naueraria Manualia Missarum, & elemosinarum, & alia his similia emolumenta, nec sub fructibus, redditibus, prouentibus iuribus, emolumentis Canonicatum, nec sub distributionibus quotidianis comprehenduntur, & multo minus quando hæc propter opera extra ecclesiam exhibita percipiuntur.

DECISIO XVI.

Ex consl. 4. in Novis deest in antiquis.

16 **C**anonicus Ecclesie cathedralis super iuribus Canoniceatus sui Romæ litigans, iustam causam non residentiam habere censetur, c. ex parte, de cl. non resid. ad hanc tamen non residentiam necessaria est sui Prælati, vel Papæ licentia, seu scientia, c. ad audientiam, de cler. non resid. ad hoc ut fructus iuste interim lucrari possit, c. Relatū, de cl.

DECISIO XVII.

Ex consl. 20. in Novis deest in antiquis.

17 **C**anonicus etsi frequenter absens ab horis tertiæ, sextæ & alijs minoribus, quæ in Cathedrali recitantur, ut parochiali inseruiat, quam cum dispensatione simul retinet, dummodo non percipiat distributiones pro illis horis, magnum defectum non committit, cum & Canonice Curato liceat per duos menses abesse nec propterea subreptitia dici debet dispensatio, si Papæ narrauerit, se utriusque commodè deseruere posse.

DECISIO XVIII.

Ex consl. 21. in Novis deest in antiquis.

18 **C**uratum beneficium habens quamuis regulariter residere & per se curam exercere teneatur, ex consuetudine tamen immemorabili, vel privilegio induci, & concedi potest, ut eidem per Vicarium, seu Capellanum etiam temporalem, & ad nutum amouibilem inseruiat.

TITVLVS III.

De Præbendis.

S V M M A R I V M.

- 1 Beneficiarius, qua intentione esse debeat suscipiendo ordines.
- 2 Beneficium presbyterum acti requirens si non conferatur presbytero, collatio est nulla.

- 3 Beneficium curatum habens infra annum ordinari tenetur.
- 4 Prioratum Regularem obtinens, quando ordinandus.
- 5 Capellania sine auctoritate ecclesiastica erecta, aut cuius Capellanus ad nutum patroni est amouibilis, non est beneficium ecclesiasticum.
- 6 Dispositio, ut quis quotidie celebret, intelligenda, si bene sit, & deuote poterit.
- 7 Beneficium quodam seculare, aut regulare censendum.
- 8 Canonicus regularis beneficium seculare sine dispensatione habere non potest.
- 9 Vicariatus perpetuus Ecclesie parochiali, dignitati, aut Monasterio vnitus, beneficium curatum censetur.
- 10 Valor beneficii 24. aureos non excedens, licet multa summa illam excedentia impetretur, non est necessario exprimendus.
- 11 Infantes, & pueri ante 14. annum beneficii incapaces sunt.
- 12 Beneficia compatiblea tot ante Concilium Trid. tenere licebat, quot honeste sustentationi sufficerent.
- 13 Gratia beneficalis, tacito etiam bona fide, beneficium obtento, non valet.
- 14 Beneficia plura habere quam decentia personæ requirit, est contra Concilium Trid.
- 15 Confessarius in dubio, habentem plura beneficia, absolueret tenetur.
- 16 Beneficium recipiens animo dimittendi an peccet.
- 17 Vacationis beneficii, Papæ modus narrandus, alias prouiso censetur subreptitia.
- 18 Dies termini in respiratione alternatiue ex mente Papæ, & ex consuetudine in termino computatur.
- 19 Possessor bone fidei, etiam si litiget, presentare potest, secus si mala fidei possessor sit.
- 20 Collatio Canonice penitentialis, ad quem spectet.
- 21 Episcopus retento Episcopatu, quando illud beneficium simplex acceptare poterit.
- 22 Penitentiarius cum speciali præbenda institutus, optare aliam nequit.
- 23 Renunciatio beneficii, ad cuius titulum quis ordinatus est, reseruata pensione, valida est.
- 24 Beneficium curatum acceptans animo non inseruendi ei peccat.
- 25 Habens Capellaniam, quæ residentiam requirit, an aliud beneficium curatum querere possit.
- 26 Missam quotidie dicere obligatus illam salua decentia dicat.
- 27 Beneficium omne sufficiens, cum alio, etiam simplici, incooperabile est, non tamen vacat primum per alterius assensum.
- 28 Abbatia beneficium curatum est, & cum alia Abbatia incompatible.
- 29 Præbende duæ eiusdem Ecclesie, licet altera sit vnita, retineri nequeunt.
- 30 Dignitas etiam prima post Pontificalem cura Canonicatus quamuis in vna Ecclesia compatibles sunt, in Ecclesijs tamen diuersis post Concilium Trid. incompatibiles sunt.
- 31 Beneficium commendatum, eo modo quo ante Commendam, vacat.
- 32 Beneficia plura in titulum nemo habere potest.
- 33 Possessio pacifica ad alterius incompatible vacationem est necessaria.
- 34 Beneficium incompatible per adaptionem alterius quando vacare censetur.
- 35 Beneficium simplex parochialis, per promotionem possessoris ad eam non vacat.
- 36 Beneficia simplicia ecclesie suæ conferre qui potest, poterit etiam vacantia per suam promotionem, resignationem, vel priuationem.